



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

Jtem de femina, quae Domino Waltero Abbati Vilariensi impetrauit à  
Domino gratiam lacrymarum, cap. 21

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

sua diluant, impetrare valeant, diuersis tibi ostendam exemplis.

## CAPVT XX.

**R**ETVLIT nobis hoc anno dominus Walterus Abbas Vilariensis te teste, q̄ monachus quidā, *Quibus dā impetrari lacrymas per alios.* cū mitteretur ab Abbate suo ad cōnobiū quoddam sanctimonialium ordinis nostri, rogauerit vnā ex eis, quam amplioris meriti apud Deū sperabat, pro se orare: Respōdit illa: Quid vultis vt orem pro vobis? Et monachus: Volo vt obtineas à Domino, ter mihi in hebdomada ad solemnes vigilias, hoc est, feria secunda, feria quinta, & sabbato, quando longiores sunt vigiliæ, specialem gratiam lacrymarum & deuotionis. Cui illa constanter promisit, quia hoc ei obtineret. Reuersus monachus ad claustrum suum, gratiam promissam stans ad vigilias expectauit, & in eisdem noctibus, per orationes sanctæ illius mulieris, à Domino copiosè lacrymas percepit. Illa per spiritū intelligens se exauditā, eidem monacho per quendam clericum familiarem mandauit, & quia iam gratiam percepisset promissam intimauit. Cū verò Abbas eiusdem domus iam dictam gratiam pro ædificatione clerico recitaret, subrisit ille, dicens, se eo multo melius scire, vtpote quia ab ipsa audierit, quæ talem gratiam impetrare potuit. Recitauit nobis & simile huic idē Abbas in sua sancta iocunditate, dicens: Vos nō estis sancti, ego aliquid referam vobis de sanctitate mea, sic incipiens.

## CAPVT XXI.

**D**VM intellexissem supradictum monachum gratiam illam lacrymarum percepisse à femina tali religiosa, rogavi Abbatem meum, tunc recenter factus monachus, vt liceret mihi tales visitare feminas, & concessit mihi statim. Veniens itaque ad domum cuiusdam honestæ matronæ Brabantia hospitandi gratia, cū intellexisset desiderium meum, dixit in ioco: Quid queritis videre istas beginas? vultis ego ostendam vobis mulierem bonam, quæ quicquid vult, obtinet à Deo? Respondi: Talem multum desidero

desidero videre. Et statim ad verbum eius mulier quædam de cubiculo suo egressa, veniens ad me, cœpit mecum loqui. In cuius aduentu, cum mihi sentirem gratiam adesse, rogavi eam, ut oraret pro me; quæ cum diceret: Quid vultis ut orem pro vobis? Respondi: Ut possim deslere peccata mea. Et illa: Nuquid non estis monachus? qui peccata sua non potest deslere, monachus non est. Et cum instarem quatenus mihi gratiã hãc obtineret, respondit: Ite, abundanter habebitis. Proxima nocte orans ante lectum meum, cum de peccatis meis cogitarem, nec tamen mulieris promissum attenderem, cœpi ita abundanter & supra morem solitum flere, penè vsque ad mediam noctem, ut tandem timens capiti meo, vix me cohibere possem a fletu. Quæ cum mihi madaffet, quòd tali nocte gratiã illam lacrymarum mihi impetrasset, iterum reuersus sum ad eam, & sciscitatus sum ab ea, dicens: Dicitè mihi in charitate, qualiter mihi obtinueritis gratiã illã, quæ respondit mihi sub his verbis: Primò quidem Dominum durum inueni, sed dixi ei: Domine non euades manus meas, nisi monachus ille habeat gratiam lacrymarum: & statim cõcessit tibi. Adjecit & tertium exemplum de simili materia.

## CAPVT XXII.

**A**LIO, inquit, tempore rogavi vnum ex monachis nostris bonæ opinionis virum, ut rogaret Deum pro me; qui cū mihi daret optionem, quid mihi vellem a Deo impetrari, volēs sermonis eius fiduciam probare, respondi ei: Volo ut obtineas mihi post Missam gratiam lacrymarum, quibus peccata mea deplangam: & promisit mihi multum confidenter. Sequenti die, cum post Missam morã facerem ante quoddam altare, & essem solus in oratione, tanta mihi affuit abundantia lacrymarum, ut mirarer. Postea cum vidisset me supradictus monachus, corpore quidem iuuenis, sed moribus valde maturus, cepit mihi signare, si bene esset mecum, gratiã notans mihi collatã: ego signum eius non intelligens, & ante Priorem illum ducens, quæsiui quid signaret: qui dixit  
mihi